

Nova haec successerunt, Vetera, ita fuerunt comparata, ut tam antiquari potuerint, quam ex mente divina abrogari debuerint, quam denique ea abrogari oportuerit. Primo quidem potuit V. T. abrogari, manente immutabilitate Dei, qua sibi ipsi aeternum constat. Nulla enim legis naturalis necessitate, aut naturae divinae sanctitate, vel iustitia, tale quid efflagitante, sed liberrima voluntate, temporum ac hominum ratione habita, oeconomiam illam instituit, ideoque eandem etiam abrogare potuit, quomodo & quandocunque voluit. Quicquid enim Deus pro suo posuit arbitrio, illud pro eodem quoque tollit. Huius universi condendi, arbitrium penes solum Deum erat, eodem quoque arbitrato suo illud ut in nihilum recidat, iubere potest. Brevibus, libera Dei voluntas, quicquid ipsi visum est, nunc sustulisse, nunc posuisse gaudet. Psalm. CXV, 3. Nec temere concedendum est in enervatam illam indoctamque, communem licet ac inveteratam Iudaeorum opinionem, Vetera illa constituta esse, ut ex divina mente essent aeterna ac perpetuo mansura, qua misere decipiuntur tot Hebraeorum myriades. Aptè enim Paulus Veterum eorum naturam, haud quaquam mansuram ac stabilem, exponit duobus vocabulis, τὰ σαλευόμενα & τὰ πεποιημένα. Iure Vetera illi dixit magnopere commota atque concussa, ut quae fere perpetuo fluxa fuerint atque incerta & inconstantissima. Iam animum adverte quaeso ad templum illud, tabernaculum vulgo dictum, nunc construendum, nunc dissolvendum, nunc huc, nunc illuc transferendum, num haec stabile quid mansurumque indicabant? Num mobilia illa sacra regnum immobile spondebant? Et quanquam huic incommodo mederi bono animo constituerit Davides, consilio capto, aedem Deo immotam dedicandi 2. Sam. VII, 3. quae & a Salomone dedicata est, non tamen potuit immota perstare, sed magna multaque concussionem, quam saepius experta est, significatum est, omnia in V. T. etsi immo-
ta